

fuert ablata, vel qui suspensus fuerit (quamdiu non fuerit a legitimo superiore rehabilitatus); vel si congregatio illa, seu ædituorum cœtus, molestiam inferat in suo munere obeundo alicui sacerdoti sacrum munus exercenti cum præuis approbatione, aut subducat vel retineat consuetum subsidium ad illius sustentationem, præules urgemus omnino ut tum demum interdiciant ipsorum ecclesiam (quoadusque tanto malo remedium afferatur), cum cætera omnia remedia inutilia esse appareat. Hortamur etiam omnes præules in hac provincia, ut sæpe sæpius administratoribus rerum temporalium, quæ ad ecclesiasticos et pios usus destinantur, proponant et inculcent et executioni demandari curent quæ a concilio Tridentino in eam rem sunt sanctissime decreta, sess. XXII, cap. XI, de Reformatione. »

Porro sacra Congregatio de Propaganda fide, in generali conventu die 28 Junii anno 1830 habito, accurate perpendit acta et decreta prædictæ synodi provincialis Baltimorensis. Quoad citata superius decreta, S. Congregatio episcopis per modum instructionis insinuanda esse existimavit puncta quæ sequuntur.

« In quinto decreto ostenditur quantopere synodus cupiat in posterum non ædificari novam aliquam ecclesiam « nisi fuerit ab episcopo in cultum » divinum et utilitatem fidelium instrumento » scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit. » Valde optandum esset vola hac de re impleri, ad vitanda præsertim incommoda quæ hactenus in America ob ædituorum agendi rationem Ecclesia passa est: ut vero constet per hoc decretum episcopos nolle regularibus aliquod detrimentum afferre, addi posset regularium privilegia sarta tecta servari, secundum ea quæ a jure canonico et Romanorum Pontificum constitutionibus decreta sunt.

« In sexto decreto, ubi episcoporum auctoritas defenditur contra institutionem pastorum, hæc verba adhibentur: « Hoc nostro decreto declaramus repugnare prorsus doctrinæ et disciplinæ » Ecclesiæ jus illud a laicis assumptum instituendi » seu dimittendi pastores. » Optaret S. Congregatio hæc verba præterea adjungi: « litteris » apostolicis san. mem. Pii PP. VIII et Leonis XII, » ac S. Congregationis responsis inhærentes, hoc » nostro decreto declaramus... » Ita enim luculentius apparebit quanto studio Sedes apostolica conata sit episcoporum jura contra laicorum usurpationem defendere. In eodem decreto sexto declaratur « nullum jus patronatus cujuscumque generis, quod sacri agnoscunt canones, competere » alicui personæ, laicorum congregationi, ædituorum cœtui, seu aliis quibuscumque personis in » hac provincia. » S. Congregationi visum est addi posse vocem *hactenus* declarationi quæ nunc memorata est. Licet enim nunc episcopis constituerit nullum jus patronatus ejusmodi in fœderatis provinciis ad quemlibet pertinere, poterit fortasse

aliquando in posterum contingere ut, etiam in iis regionibus, jus patronatus obtineat, servatis quæ a sacros. concilio Tridentino statuta sunt sess. XXIV, cap. XIII; et sess. XXV, cap. IX de Reformatione. » (*Concilia provincialia Baltimori habita ab anno 1829 ad annum 1849*, editio altera; Baltimori, 1851 apud Joan. Murphy et socium, typographos ac bibliopos, via mercatoria n° 178.)

In concilio Baltimorensi plenario, anno 1852 celebrato, sub decreto XVII legitur: « Monemus sacerdotēs qui Ecclesias administrant, quarum titulus episcopis traditus est, ne ædituos in iis absque episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne liberæ earum administrationi impedimentum aliquod nascatur *Concil. totius Amer. septentr. fœderatæ Baltimori habitum*, Baltimori, Murphy, in 8°). »

ADNOTATIO XXVII

Lib. II. Decret. Tit. I, § IV, n. 86, p. 180.

REGULARITER CLERICI AD FORUM SÆCULARE NON TRAHENDI.

Exc ap. IV, *Etsi*, hoc eodem titulo, irrita dumtaxat declaratur sententia, lata contra clericos a iudice sæculari; nulla tamen in hunc infligitur pœna, quæ quidem est excommunicatio Papæ reservata in bulla, die Cœnæ Domini legi solita.

Vide etiam litteras encyclicas Pii Papæ IX *Quanta cura*, 8 dec. 1864, et Syllabum annexum, complectentem propositiones damnatas.

ADNOTATIO XXVIII

Lib. II. Decret. Tit. I, § IV, n. 117, pag. 185.

IN QUO CASU CLERICUS FLAGITIOSUS CURIÆ SÆCULARI TRADI POSSIT?

« In decretali 10, *Cum non ab homine*, hoc titulo, statutur si procedendum sit contra clericum reum delicti, depositione digni, serventur quatuor sequentes gradus: — I. Ut deponatur. — II. Ut, si non se corrigit et delictum iteret, nec depositionem servet, aut deteriora crimina perpetret, excommunicetur. — III. Ut, crescente contumacia anathematizetur; quæ anathematizatio, licet non habeat majorem effectum quam excommunicatio, cum eadem sit ac anathema, fit tamen publice et cum certis solemnitatibus, scilicet duodecim sacerdotibus cum candelis accensis, quas post sententiam prolatam extinguunt, et projectas conculcant, qui est modus et forma publicæ excommunicationis, can. 106 *Debet*, caus. XI, quest. 3. — IV. Demum si non resipuerit, quin potius in profundum malorum devenit, ne sit perditio et damnificatio plurimorum, tradatur curiæ sæculari, digne pœna plectendus.

» Hic tamen quartus gradus tunc locum habere debet, quando Ecclesia non propter defectum aliarum pœnarum vel potestatis, sed propter poten-

tiam ejusdem clerici criminosi non posset illum coercere, quo casu verificatur quod eadem Ecclesia non habeat ultra quid facere.

» Non obstante autem gradatione hic præscripta, non desunt plures doctores qui, juxta animadversa a Benedicto XIV, lib. IX, cap. VI, n. 9, de *Syn. diœc.*, « ita hanc decretalem interpretantur ut per » eam minime prohiberi opinentur ne clericus, » parricidii insidiosus aut sacrilegi, vel alterius atrocissimi criminis reus, prædictis pœnarum gradibus non servatis, statim tradi possit curiæ » sæculari. Ita ad præd. cap. docuere Ancharanus » n. 10; Alciatus, n. 22; Martinus del Rio, *Disquis. magic.* lib. V, sect. 16 § *Si quæras quid iudici liceat*, aliique relati a Farinacio, *Præc. crimin.* » quest. 8, n. 81.

» Verum communis doctorum sententia indubitanter affirmat, ad actualem clericum cujuscumque criminis rei degradationem, præter enumeratos » casus a jure speciatim expressos, non posse procedere nisi ille sit incorrigibilis, hoc est, uti a » Cœlestino audivimus, nisi Ecclesiæ monita, sibi » que gradatim inflictas canonicas depositionis et » excommunicationis pœnas, pervicaciter contempserit. Superfluum quippe fuisset in quædam sæcularia clericorum flagitia degradationis pœnam nominatim decernere, si hæc potuisset cuicumque clerico flagitioso statim irrogari. Neque ad » rem facit immanius scelus esse parricidium, quam » forte sit aliquod ex iis exceptis, ob quod clericus, nulla præmissa canonicarum pœnarum gradatione, permittitur statim tradi curiæ sæculari; » etenim leges pœnales non complectuntur delicta » quæ non expriment, etiamsi sint expressis graviora...

» Instar igitur regulæ sit neminem clericorum, » quantumvis flagitiosum, posse ab episcopo actu » degradari et curiæ sæculari tradi, nisi, post ei » inflictas alias pœnas in cit. cap. *Cum non ab homine* præscriptas, deprehensus fuerit inemendabilis, aut nisi sit reus alicujus ex enumeratis » criminibus a jure communi vel a pontificiis » sanctionibus nominatim expressis, quemadmodum docent Hostiensis, etc... » (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 219).

ADNOTATIO XXIX.

Lib. II. Decret. Tit. I, § VI, n. 153, pag. 191.

DE MULIERIBUS AD JUDICIUM INVITE NON EVOCANDIS.

Sic loquitur Bonifacius VIII, cap. II *Mulieres*, hoc eod. tit. in 6; « Mulieres quas vagari non convenit, nec virorum cœtibus immisceri, auctoritate litterarum Sedis apostolicæ, vel legatorum ipsius, aut alia quacumque, ad iudicium personaliter evocari, vel trahi invitæ, causa ferendi testimonium, aut alia qualibet quæ in jure non exprimitur, prohibemus. Sed cum necessarium fuerit testimonium earumdem, iudex (in expensis partis

producentis easdem) tabellionem, aut aliam personam idoneam ad eas transmittat: vel si forte talis casus occurrerit, quo, jure prohibente, receptio testimonii alteri committi non possit, iudex tunc propter hoc personaliter ad illos accedat. Aut si talis sit personæ iudicata conditio quod id per ipsum non deceat fieri, vel non possit, mittat ad eas; proviso quod casus hujusmodi (videlicet ut iudex vadat personaliter) non fingatur, nec fraus interveniat in hac parte. Alioquin fictor hujusmodi vel fraudator ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Cæterum fœminæ, religiose præsertim, quæ debent sub clausura morari, extra suum monasterium vel clausuram non vocentur ad iudicium, vel trahantur ex quavis causa personaliter, etiamsi ad hoc voluntas accederet earumdem. Decernimus quoque ut ipso jure sit irritum et inane, si quid contra præmissa contigerit attentari. »

Notat Giraldus excommunicationem hic inflictam absolvi posse a quolibet confessario, cum non sit reservata, æque itidem eam a iudice incurri ob fictionem causæ, nisi revera sequatur accessus ad domum mulieris; incurreretur tamen, etiamsi hoc habito non sequeretur examen. Neque insuper incurreretur, si per alium, inscio iudice, ficta fuisset causa. *Navarr. Man. conf.* cap. XXVII, n. 25 (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 224).

Notat denique hic Francus, n. 1, cum Glossa *Exprimitur*, prohibitionem de non trahendis mulieribus invitæ ad iudicium esse intelligendam de mulieribus honestis, non vero de inhoneste viventibus quæ indistincte possunt cogi et trahi ad iudicium, etiam pro causis civilibus. Circa quam praxim vid. *Urdayam, Institut. criminal.* lib. IV, tit. III, n. 20 et 21 (*Giraldus, ibid.*).

ADNOTATIO XXX.

Lib. II. Decret. Tit. I, § VII, n. 182, pag. 196.

AN CAPITULUM POSSIT AGERE DE BONIS COMMUNIBUS SINE CONSENSU PRELATI?

Præter ea, quæ ab auctore nostro circa hanc materiam dicta sunt, lege D. Bouix, *Tractatus de capitulis* sec. edit. et D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France devant l'Église et devant l'État*, Lecoffre, Parisiis, 1864.

ADNOTATIO XXXI.

Lib. II. Decret. Tit. I, § VIII, n. 201, pag. 200.

AN VICARII CAPITULARES INTRUSI, ANNO 1809 ET SEQUENTIBUS, IN GALLIA, HABUERINT JURISDICTIONEM, STANTE ERRORE COMMUNI SIMULQUE ACCEDENTE TITULO COLORATO?

Videtur respondendum negative ex eo quod contra prædictos intrusos decernatur a jure clausula *Irritum et inane*, quæ inficit omnem titulum

et possessionem. Hec responsio firmatur ex litteris ad D. D'Astros, vicariam capitularem Parisiensem, a R. P. Fontana directis, die 9 martii 1813, ubi leguntur quae subsunt:

» Quaecumque igitur unius cardinalis Maurii nomine acta sunt sustineri nequaquam possunt. Bona sane fides, errore communi et titulo colorato fides, eos juvare poterit qui legitimam in nominationem jurisdictionem collatam fuisse existimarunt; imo Ecclesiam ipsam supplere noscimus, ubi optima id genus fides praesto sit, quae tamen in ecclesiasticis viris et qui disciplina exculti sunt non ita facile praesumitur. Nihil tamen secius, de EE. PP. consilio, tutius censuit Sanctissimus Dominus Noster novum actis ipsis, quaecumque ea sint, robar apostolica auctoritate tribuere, ea in radice etiam, ut aiunt, quatenus opus est, sanando. Erit vero tui muneris ea cumprimis matrimonia, secreto quidem et quam maxima prudentia poteris, percensere, quibus interfuerunt parochi sub eard. Maurio electi et instituti, quae proinde dignoscuntur non satis habere roboris et firmitatis, eorumque indicem in archiepiscopali tabulario diligenter asservare; et singulis adnotare a summo Pontifice rata ea ac firmata fuisse, perinde ac si vel ab initio omni vitio caruerint. Hoc enim conubiorum sanctitas, hoc conscientiarum quies, hoc familiarum incolunitas exposcit, ne scilicet contracta tunc temporis nuptiae unquam possint in posterum disceptationem quaestionemque vocari.»

Cf. *Nullità delle amministrazioni capitolarie abusive dimostrata con documenti autentici* per l'avvocato Carlo Fea, Roma 1815. — Card. d'Astros: *du Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés*, Toulouse, 1833 — Muzzarelli: *de l'Administration capitulaire des sujets nommés aux évêchés. — Dispositioni canoniche circa l'elezione de' vicarii capitolarie, in risposta al rescritto circolare del segretario generale Mancini del 14 maggio 1861*, Napoli, all'ufficio dell' Ape cattolica. — D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. XXXIII et *Pièces justificatives III* — D. Bouix, *Tract. de Capitulis, et de Episcopato*, t. I.

ADNOTATIO XXXII

Lib. II. Decret. Tit. II De foro competenti. § VI n. 164, pag. 230.

DE CAUSIS MIXTI FORI

Legitur apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, post sect. 231, Appendix ad hunc titulum de foro competenti in qua, pro regula et praxi iudicium tam ecclesiasticorum quam laicorum referuntur nonnullae causae mixti fori quae scilicet, cum quis eorum in iudicio praevenerit, ab utrisque tractari possunt, dummodo haec non sint clericorum, sum tunc semper private cognosci debeant a iudice ecclesiastico. Sat est appendicem hanc eruditius indigitare

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. II. Decret. Tit. II, § IX, n. 192, pag. 235.

QUI VENIANT SUB NOMINE CLERICORUM, QUOAD PRIVILEGIUM FORI?

Nota I, inquit Giraldus, sub nomine clericorum venire etiam prima dumtaxat tonsura initiatum, utpote fori privilegio gaudentem, servatis conditionibus praescriptis (conc. Trid. sess. XXIII, cap. vi, de Reformatione).

Nota II, nomine juniorum seu minorum, de quibus in textu cap. II *Nullus*, hoc eod. titulo, quosque fori privilegio gaudere ibidem statuitur, venire eos qui servitio Ecclesiae perpetuo sunt adscripti, non vero servos conductitios, ut probat Fagnan. ad hoc idem caput, n. 18. Hic in regno Neapolitano vocabantur diaconi silvatici, qui cum nimis numero excreverint in fraudem fori laicalis, ex decreto S. cardinalium Congregationis negotiis ejusdem regni praepositorum, edito 10 kal. jul. 1623 de mandato Gregorii XV, in cathedralibus seu superioribus Ecclesiis eorum numerus restrictus fuit ad quatuor pro eorumdem servitio; ad duos in collegiatis et parochialibus; in aliis vero Ecclesiis, ubi divina celebrantur, ad unum: qui tamen vivere debebant propriis sumptibus et per seipsos servitium praestare. Quod integrum decretum refert Fagnan. loc. cit. n. 19. Sed hodie ex concordatis inter sanctam Sedem et Carolum regem, Neapoli sub die 11 jun. 1744, cap. III de *Immunitate personali*, n. 4 et 10 expresse excluduntur ab hoc privilegio (Part. I, sect. 228).

ADNOTATIO XXXIV.

Lib. II. Decret. Tit. II, § IX, n. 231, pag. 245.

LUCUBRATIONES QUEDAM DE JURE ASYLI ET DE JURE CANONICO NOSTRIS TEMPORIBUS VULGATE, STUDIO ET OPERA DUORUM MAGISTRATUM GALLIE.

Hodiernis temporibus, D. d'Hector de Rochefontaine, advocatus generalis in curia imperiali Gratianopolitana in Delphinatu, coram eadem curia, ineunte anno judicario 1862-1863, concionem habuit de jure asyli, quae typis vulgata est Gratianopoli, in 8°. Licet dissertatio haec non sub omni respectu nobis ardeat, illam tamen eruditi libenter perlegent.

Inde occasionem arripimus in medium producenti aliud opus, gravioris molis certo et momenti, bono animo elaboratum et scriptum a G. d'Espinay, doctore in jure civili, substituto in tribunali Segré cui titulus: *De l'influence du droit canonique sur la législation française*; Tolosae, ex typographia Bonnel et Gibrac, 1856, in 8°.

ADNOTATIO XXXV.

Lib. II. Decret. Tit. II, § X, n. 239, pag. 245.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA

» Circa hanc immunitatem summi Pontificis, principiis licet semper innixi, quatenam in

tenore concordatorum cum principibus initorum. Exempli gratia, in concordatis inter Sanctam Sedem et Carolum regem, Neapoli die 11 jun. 1744 firmatis, leguntur sequentia:

» I. Quod gaudere debeant immunitate personali clerici, dumtaxat revera tales, habentes requisita a sacris canonibus praescripta; et religiosi utriusque sexus, qui habitum religiosum gerentes collegialiter vivunt sub obedientia legitimorum superiorum, vel ab iisdem deputati sunt pro gerendis necessariis negotiis extra monasterium.

» II. Quod eadem gaudere debeant clerici conjugati (non vero eorum uxores et filii tam durante quam soluto matrimonio) dummodo habeant qualitates a Tridentino praescriptas, sess. XXIV, cap. vi de *Reform.* de quibus quotannis a suis ordinariis attestationem, gratis dandam obtinere debent; nec exercent artes et negotia clericali statui indecora, in causis mere criminalibus criminaliter motis, non autem in iisdem causis respicientibus partium jura, quae agitantur ad formam iudicii civilis, pro quibus aliisque omnibus civilibus causis laico subiciantur quoad executionem super bonis dumtaxat, quibus deficientibus, etiamsi carceri mancipandi essent, prius petendum sit *exequatur* a iudice ecclesiastico, et ab hoc non negandum.

» III. Quod clericus, aut quilibet alius ecclesiasticus, reus assassinii, retineri possit in carcere laicali nomine Ecclesiae, si ad illum capturam iudex laicus praevenerit, qui etiam conficere poterit processum, sed antequam ad sententiam ejusque executionem deveniat, expectare debeat declaratoriam faciendam, servatis servandis, et auditis rei defensionibus, a tribunali mixto super qualitate assassinii, ad quem effectum intra quatuor menses processum eidem tradere teneatur (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 228).»

Ampliores concessionem hodiernis temporibus obtinuit Caesarea Majestas, occasione conventionis Viennae die 18 aug. 1855 subscriptae, in qua repertiuntur sequentes articuli:

« X. Cum causae ecclesiasticae omnes et in specie, quae fidem, sacramenta, sacras functiones necnon officia et jura ministerio sacro annexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscat iudex ecclesiasticus, qui perinde de causis quoque matrimonialibus juxta sacros canones et Tridentina cumprimis decreta iudicium feret, civilibus tantum matrimonii effectibus ad iudicem saecularem remissis. Sponsalia quod attinet, auctoritas ecclesiastica iudicabit de eorum existentia et quoad matrimonium impediendum effectibus, servatis quae idem concilium Tridentinum et apostolicae litterarum quarum initium *Auctorem fidei* constituunt.

» XII. De jure patronatus iudex ecclesiasticus cognoscat; consentit tamen sancta Sedes ut, quando de laicali patronatu agatur, tribunalia saecularia iudicare possint de successione quoad eundem patronatum, seu de controversia ipsa inter veros et suppositos patronos seu inter ecclesiasti-

cos quos qui ab iisdem patronis designati fuerint.

» XIII. Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit ut clericorum causas mere civiles, prout contractuum, debitorum, hereditatum, iudices saeculares cognoscat et definiant.

» XIV. Eadem de causa, sancta Sedes haud impedit quominus causae ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus imperii legibus animadvertuntur, ad iudicem laicum deferantur; cui tamen incumbet episcopum ea de re absque mora certiore reddere. Praeterea in reo deprehendendo et detinendo ii adhibebuntur modi quos reverentia status clericalis exigit. Quod si in ecclesiasticum virum mortis vel carceris ultra quinquennium duraturi sententia feratur, episcopo nunquam non acta iudicialia communicabuntur, et condemnatum audiendi facultas fiet, in quantum necessarium sit, ut de poena ecclesiastica eidem infligenda cognoscere possit. Hoc idem, antistite petente, praestabitur, si minor poena decreta fuerit. Clerici carceris poenam semper in locis a saecularibus separatis luent. Quod si autem ex delicto vel transgressione condemnati fuerint, in monasterio vel alia ecclesiastica domo recludentur. In hujus articuli dispositione minime comprehenduntur causae majores, de quibus sacrum concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. v, de *Reform.* decrevit. Iis pertractandis Sanctissimus Pater et Majestas Sua Caesarea, si opus fuerit, providebunt.

» XV. Ut honoretur domus Dei, qui est Rex regum et Dominus dominantium, sacrorum templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas et ea quae justitia exigit fieri sinant.

» XXXIV. Caetera ad personas et res ecclesiasticas pertinentia, quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur juxta Ecclesiae doctrinam et ejus vigentem disciplinam a sancta Sede adprobatam (*Acta et decreta concil. provinc. Viennensis anno 1858 celebrati*: Vindobonae, ex officina caesarea regia typograph. aulae et status, 1859, in 4°; appendix ad decreta concilii).»

ADNOTATIO XXXVI.

Lib. II. Decret. Tit. II, § X, n. 241, pag. 245.

DE CONSUETUDINE CONVENIENDI LAICUM CORAM IUDICE ECCLESIASTICO.

« Haec consuetudo ut clericus, etiam in causa mere civili et personali, laicum conveniat coram iudice ecclesiastico, teste Benedicto XIV, de *Syn. dioc.* lib. IV, cap. iv, n. 13 viget in diocesi Bononiensi, quam etiam confirmavit et servari praecipit Gregorius XV, constit. *Cum nos*, 28 april. 1622, relata ab eodem Benedicto, *Instit. eccles.* XL.

» Eadem ab antiquo tempore introducta reperitur in Heturia, ut ex synodis et conciliis provincialibus illius ditionis habitis ann. 1508, 1517, 1563, 1666, 1710 et 1732, relatis a laudato Benedicto, cit.

num. ubi subdit : « Ubi ergo hæc aut similis con-
» suetudo invaluit, ea utique erit sarta tecta custo-
» dienda, neque conqueri poterunt laici quod
» episcopus hoc sæcularis jurisdictionis minimum
» frustulum consuetudine acquisitum sibi vindicet,
» cum ipsi, sicut a Guillelmo Durando supra audi-
» vimus, sola consuetudine, quæ ab initio dici
» potuit abusus et corruptela, fere integram devo-
» raverint jurisdictionem ecclesiasticam (*Expos.
jur. pontif. p. I, sect. 229*). »

Attamen, constitutionem Clementis XIII, *Præ-
lat Romanum Pontificem*, octavo kal. sept. 1765,
oportet attendere, in qua legitur : « Quoniam expe-
» rientia compertum est, prætextu quandoque con-
» suetudinis, vel minus legitimæ, vel non omnino
» constantis, neque a legitimis ductæ principiis,
» facile nimium moveri nonnullas hujus nostræ
» ditionis curias episcopales et ecclesiasticas, ut,
» præoccupata magistratuum sæcularium jurisdic-
» tione, ad se trahant cognitionem criminum etiam
» gravissimorum quorum reos licet laicos, neque
» foro ecclesiastico ullatenus gaudentes, cum apud
» eas accusantur, carceribus statim mancipant,
» eosque tradere renuunt curiis nostris secularibus
» jaste puniendos : bonum ideo duximus præ-
» senti hac constitutione, ut abusus occurratur,
» declarare quæ et qualis esse debeat legitima
» secundum canones consuetudo qua curiis episco-
» palibus et ecclesiasticis jus esse possit de reo-
» rum laicorum causis criminalibus cognoscendis
» et judicandis.

» Igitur non omnem ad id consuetudinem, sed
» illam tantum valere jubemus, quæ et quadrage-
» naria sit et perpetuo constans, non unquam vel
» contradicta, vel interrupta. Præterea constitui
» eam volumus multiplicitate ac frequentia actuum
» non levium sed gravium, quos constat gestos
» fuisse animo præscribendi jurisdictionem sæcula-
» rem, non ex gratia vel conniventia toleratos,
» neque tales qui fieri fortasse potuerint citra certam
» præcisamque scientiam et acquiescentiam vel
» nostram, nostrorumque pro tempore successorum,
» vel saltem supremorum magistratuum nostræ
» hujus Urbis, quos præcipue ad publicam perse-
» quendam vindictam criminum præponere consue-
» vimus; nullam prorsus in re tam gravi haberi
» mandantes rationem de scientia ac patientia rec-
» torum localium, aliorumque inferiorum magi-
» stratuum sæcularium, quibus quandoque vel
» oscitantibus, vel metu quodam reverentia con-
» niventibus ac tolerantibus nequaquam licere ac
» licuisse statuimus gratia, acquiescentia ac pa-
» tientia sua legitimam facere consuetudinem,
» qua mandata eis jurisdictione, perturbato utriusque
» potestatis ordine, minuatur. Si ea itaque con-
» suetudo afferatur, qualem modo statuimus,
» illam volumus custodiri ac servari; inductam vero
» aliter reprobamus et nullius esse roboris nostra
» hac constitutione decernimus. »

Nemo non videt quanti sint momenti regulæ hic

memoratae a Clemente XIII pro verificanda legiti-
mitate consuetudinis de qua agitur.

ADNOTATIO XXXVII.

*Lib. II Decret. Tit. III. De libelli oblatione, § III.
n. 84, pag. 265.*

EXEMPLUM CITATIONIS EDICTALIS.

Cum, anno 1864, in lucem prodierint typis pari-
siensibus Cosson et soc. ac per dioccesim Versalien-
sem sparsi fuerint libelli anonymi, qui *Lettres de
Sophronius* inscribentur, et impudenter insecta-
bantur episcoporum et ipsius Sedis apostolicæ gesta
et salubriter decreta de *Breviario* et *Missali Roma-
no*, DD. Joannes Petrus Mabile, episcopus Versa-
liensis, sub die 3 martii ejusdem anni, Instructio-
nem pastorem et decretum publicavit. Porro in
Instructione pastoralis legitur :

« Quoniam vero invecus rumor ac non paucis de
clero nostro ingesta persuasio est ejusmodi libelli
auctorem aut saltem cooperatorem existere quem-
dam diocesis nostræ presbyterum (quod sane, si
verum sit, dolemus et vos omnes nobiscum dolebi-
tis quam maxime), haud satis episcopali muneri
nostro facturos duximus, nisi tam perniciosum
attentatum ac scandalum merita correptione ac
damnatione cohiberemus. Simul autem occasionem
arripiemus quæ sit sana ac tenenda quoad rem
liturgicam doctrina, non tam ex nostro quam Sedis
apostolicæ, communique probatorum scriptorum
judicio, exponendi ac edocendi. »

Decretum autem sic se habet :

« I. Libellum anonymum inscriptum *Lettre de
Sophronius*, itemque alterum pariter anonymum,
Deuxième lettre de Sophronius, utpote continentem
propositiones erroneas, scandalosas, nec non epi-
scopis Galliæ ac ipsi etiam Sedi apostolicæ injurio-
sas damnamus ac proseribimus.

» II. Prohibemus ne ullus diocesis nostræ cle-
ricus, nisi forte licentiam a nobis obtinuerit, præ-
fatos libellos legere, aut apud se vel etiam alibi
retinere præsumat, sub pena suspensionis ab exer-
cizio sacri respectivo ordinis, per tres menses ipso
facto incurrenda.

» III. Anonymo eorumdem libellorum auctori
vel etiam cooperatori, si revera (prout invaluit
rumor) sit unus ex presbyteris jurisdictioni nostræ
subjectis, præcipimus ut intra spatium triginta die-
rum, ab edito præsentis nostro decreto computan-
dorum, se sistat coram uno e vicariis nostris gene-
ralibus, vel majoris seminarii nostri directoribus, ac
ei extra pœnitentiale sacramentum declarei retrac-
tari a se ac reprobari utramque memoratam scrip-
tiunculam; quam declarationem volumus ut nobis
testetur qui eam receperit, tacito tamen rei nomi-
ne, si forte is ita poposcerit. Quod si infra præ-
scriptum temporis articulum dictus anonymus
præmissis nostro mandato non paruerit, suspensio-
nem ab officio, si quod forte obtineat, et a sacræ

ordinis exercitio, ipso facto per annum incurrat.

» Præsens autem decretum nostrum Sedi apo-
stolicæ, cujus supremo judicio episcoporum judicia
omnia de jure subjiciuntur, transmitti optamus ac
procurabimus. »

ADNOTATIO XXXVIII.

*Lib. II Decret. Tit. VII. De juramento calumniæ,
§ II. n. 21, pag. 293.*

DE JURAMENTO CALUMNIE A CLERICIS PRÆSTANDO.

« In cap. I, *Inhærentes*, hoc titulo, Honorius
jubet circa juramentum calumniæ, quod asserit in
primo litis exordio præstari debere, observari con-
stitutionem Henrici II imperatoris, qua edictum
imperatoris Marci (non Marci, ut in textu) de
clericis Constantinopolitanis, quo jurare prohibe-
bantur, ad omnes clericos pertinere declaravit et
vetuit clericos quoscumque, in quacumque causa
tam civili quam criminali, compelli ad jurandum;
sed voluit aliis idoneis personis id esse delegandum.
Moderando tamen Honorius præfatum edictum,
prohibuit ne episcopus, inconsulto Pontifice, et
quisvis clericus, inconsulto prælato suo, jurare
auderet.

» Verum huic sanctioni, ad juramentum in pri-
mo litis exordio præstandum quod attinet, deroga-
tum est a Bonifacio VIII declarante hoc præstari
posse in qualibet litis parte, cap. I, *Si de calumnia*,
hoc eod. titulo in 6.

» Quoad delegationem alteri faciendam, pro dicti
juramenti præstatione, pariter derogatum est ab
Eugenio III, permittente illud præstari posse etiam
a principalibus absque alterius delegatione juxta
qualitatem personarum et causarum opportunita-
tem, ut ejus decretali relata cap. III, *In pertractan-
dis*, hoc eod. titulo.

» Derogatum est etiam a Lúcio III id sine ulla
limitatione cuicumque clerico permittente, cap. v,
Cæterum, hoc eod. titulo.

» Item quoad episcopos, derogatum est a Grego-
rio IX, cap. VII, *Cum in causa*, hoc eod. titulo.

» Quoad facultatem obtinendam a summo Ponti-
fice pro præstando juramento ab episcopo, et obti-
nendam ab hoc respectu clericorum, derogatum
est a contraria consuetudine, propter difficultatem
recurrendi in omnibus casibus ad Pontificem re-
spectu episcopi, et ad ordinarium respectu clericor-
um, ut notant Hostiensis et Panormitanus hic n.
16 et 18, et hoc procedit de quocumque jura-
mento.

» Prohibuerat Eugenius, cap. II, *Litteras*, hoc
titulo, præstari juramentum calumniæ in iis causis,
in quibus de decimis ecclesiæ et rebus ecclesiasticis
ageretur. Verum hæc decretalis abrogata est a Bo-
nifacio VIII contrarium statuente cap. I, *Si de ca-
lumniæ*, hoc eod. titulo in 6, § *Quamvis*.

» Insuper præceperat laudatus Eugenius cap. III,
In pertractandis, ut, si quando præstandum esset

juramentum per procuratorem, illud præstare de-
beret in animam principalis, non in suam. Verum
hoc hodie locum amplius non habet propter dero-
gationem, seu ampliationem factam a Bonifacio VIII
præcipiente procuratorem etiam debere jurare in
animam suam, sive sit instructus de causa, sive
non, ut videlicet sollicitus sit ne suscipiat defen-
sionem causæ iniquæ, præsertim si sciat illam esse
iniquam, ut ex ipsius decretali cap. II, *In appella-
tionis*, hoc eod. titulo in 6.

» Ex cap. cit. v, *Cæterum*, colligitur non valere
consuetudinem ne juramentum calumniæ præstetur.
Verum ex decretali Bonifacii VIII, cap. I, *Si de
calumniæ*, propter illius omissionem, processus non
est nullus.

» Denique quod, ex cap. VII, *Cum in causa*, hoc
titulo, episcopo juramentum de calumnia præstitu-
ro exhibendum sit Evangelium præscribitur, con-
traria consuetudine derogatum est, quandoquidem,
ex inconcussa observantia, ut ad hoc idem caput
notat Barbosa n. 3, tam episcopi quam cardinales,
et alii quicumque in sacris constituti, non jurant
in causis judiciariis, aut exhibitis aut tactis Evan-
geliis seu Scripturis aliquibus, sed tacto dumtaxat
pectore. In aliis vero casibus, v. g. in fidei promi-
sione emittenda, indubiæ consuetudinis est ut tan-
gant Evangelia (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*,
par. I, sect. 233, 234, 235, 236 et 237). »

ADNOTATIO XXXIX.

*Lib. II Decret. Tit. IX. De feriis, § I. n. 12,
pag. 312.*

DE FESTIS EX PRÆCEPTO CELEBRANDIS.

« In decretali, cap. v, *Conquestus*, hoc titulo,
numerantur dies feriati, in quibus actus judiciales
exerceri nequeunt; quibus ex constit. Urbani VIII,
Universa, idib. sept. 1642, addendi sunt sex alii,
videlicet : Corporis Christi, Inventionis S. Crucis,
S. Josephi, S. Annæ, et duorum ex principalioribus
patronis, unius nempe in quocumque regno sive
provincia, alterius in quacumque civitate, oppido
vel pago, ubi hos haberi et venerari contigerit.
Quos sex dies declarat Pontifex etiam observandos
esse de præcepto quoad auditionem missæ et vaca-
tionem ab operibus servilibus; sicuti et quatuor
ex septem festivitatibus B. Virginis, Purificationis
nempe, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis,
ibi :

« Decernimus et declaramus infrascriptos dum-
» taxat dies pro festis ex præcepto colendos esse,
» quos nempe vel ab initio veneranda sacravit
» antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit con-
» suetudo, vel omnium gentium unanimes pietas
» veneratur, dominicos scilicet dies totius anni, Na-
» tivitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epi-
» phaniæ, Resurrectionis cum duobus sequentibus
» feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duobus pari-
» ter sequentibus feriis, sanctissimæ Trinitatis,